



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

15. Bella passim à Deo adhibita ad scelera regu[m] & populoru[m]
plectenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

rum; multa de regibus Iuda, de Abia, de Afa, de Iosaphat, de Ezechia; qui quodcumque, relicto Deo, Deos adorauerunt, bellis sunt flagellati; quando autem ad Deum per poenitentiam & preces reuersi sunt, illustrissimas de hostibus suis victorias reportauerunt. Inter hæc omnia tot Deus Prophetas misit, qui Iudæos à suprâ memoratis peccatis absterrent, minando, increpando, hortando, consolando. Sed cùm semper in miserias suas, & ad vomitum redirent, neque cladibus neque promissionibus emendati, nullumque peccandi finem facerent, agris, domicilijs, vrbi- bus, regnis, libertate ipsa privati, in seruitutem traditi atque in Assyriam abducti sunt; & captiuitate Babylonica alijsque immen- sis calamitatibus exagirati; donec lamentabile illud excidium Ie- rosolymitanum à Romanis illatum paterentur, quod iam aliàs descripsimus.

Bella igitur, quantumuis horrida, quantumuis mala, diuine iustitiæ esse opus, vel hinc constat, quia ijs Numen plerumque scelera Iudæorum castigauit; ad quod opus peragendum adhibuit reges, vel populos vicinos, Assyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Romanorum, per quos acerrimè fuere flagellati. Ita de- cem tribus, vbi à Regibus Syriæ magnis cladibus affectæ, tamen in sua malitia perseverarunt, tandem iustissimâ summi Iudicis sententia stirpitus ab Assyrijs sunt eradicatæ, vniuersis vel occisis, vel in perpetuam seruitutem abreptis. Ita tribus quoque Iuda & Benjamin, quæ solæ è duodecim restabant, postea à Chaldæis at- trita sunt, & in Chaldæam traductæ, vbi per septuaginta annos durissimam seruitutem seruierunt. Inde quoque, vbi satis pro delictis suis plexi sunt, liberatæ in patriam & pristinum felicitatis suæ florem redierunt, populo, diuitijs, & delicijs auctæ, donec tandem, Messia crucifixo, & repudiata diuina sapientia, cælesti- que veritate contempta, clade vltima maximaque per Titum vr- bi & genti procurata, perfidiam luerunt. Quemadmodum au- tem Iudæos, ob sua delicta, bellorum exitijs iustissimè castigauit Deus, ita etiam, vt suprâ docui, alios quoque populos, ob sua peccata, hostium armis attriuit, vt de Ægyptijs, Tyrijs, Idumæis, Moabitjs, Syris, Assyrijs, & Chaldæis diuersi Prophetæ perspi- cuè docuerunt.

2. Paral. 33.
2. Paral. 14.
2. Paral. 20.
2. Paral. 32.
4. Reg. 19.

Suprà cap. 53.

XV.

Isaias à cap.
13. vsque ad.
25. & cap. 45
& 46.
Ierem. 46. &
seqq. Ez.

Vuuu

CAPVT